PLVTARCHI

Chæronei libellus De Aua-
ritia, per Eximium Richar
dum Pacæum Inuictiss.
Regis Angliæ Ora-
torem elegan-
tissime Ver-
sus.

ROMA

F. Marii Molsæ.

Quā sit largus opum Pacæus, candide lector,
Vtq; sciat nullis cedere Diuitiis,
Indicio hæc tibi sint, studio euigilata fideli,
Dum prodesse bonis omnibus ille cupit,

Hierony. Delii Alexandrini.

Donat Pacæus nostro sermone, in auaros
Quod græc? patrio scripserat author opus,
Nimirum diues æque ac Pacæe diserte,
Aedere munifico conuenit ista tibi.
Vsus nullus opū tibi nam Pacæe probatur,
Qui non ingenuos qualibet arte iuuet.

AMPLISSIMO PATRI, AC DOMINO. DOMINO LAVRENTIO TITVLI SANCTAE ANASTASIAE PRAESBYTERO CARDINALI CAMPEGIO DOMINO SVO APPRIMAE OBSERVANDO RICHARDVS PACAEVS. S.P.D.

PARTEM huius ocii, Pater Amplissime, quod longa Summi Pontificis expectatio mihi præbet: in his studiis consumendam putaui, ex quibus aliquid fructus ad uitã recte instituẽdam, percipitur. Ad bonos itaq; libros, cum latinos tum græcos legendos, totum animum cõuerti. Et quũ casu iampridem in Plutarchi de Auaritia libellum incidissem: sententiarum grauitate, christianis auribus dignissima, oblectatus: eu3 latinitate donare, operæpretium eẽ existimaui. Quod quum perfecissem: cœpi apud me cogitare: in uanum quodammodo mihi laboratum esse: si apud me semper lateret: & non

prodiret in publicum. Quo autem felicius in manus hominum exiret: illud appetiſſe mihi uiſus eſt: ut alicuius exiret auſpiciis, cuius nominis ſplendor, & amplitudo tantum ſibi conciliaret gratiæ, quantum mea rudis detraxerit tralatio. Illico occurriſti tu, præcipuum ſacri Collegii ornamentum: qui & libello meo, ſimul & mihi, mirum in modum ſatisfeciſti. Ille enim magni nominis & grauitatis uirum, cui dedicaretur, expetiuit, Ego uero, nihil congruentius eſſe arbitratus ſum: quam ut illa quæ contra auaritiam ſcribuntur, ei nuncupentur, cuius conſtat tam inſignem eſſe liberalitatem, ut iuxta Diogenis Cynici ſententiam: Nihil aliud diuitias eſſe iudicet: quam fortunæ uomitum. Quanta autem Virtus liberalitas ſit: nulla ratione quis certius nouerit quam ex collatione contrarii auaritiæ uicii, in quo exprimendo & ante oculos nobis proponendo: alios authores omnes longe (meo quidem iudicio) ſuperat Plutarchus. alii enim uel ſententia, uel dicto, uel exemplo unico, auaritiam damnant. Sententia, ut ille qui ſcriptum reliquit, tam deeſſe auaro quod habet, quam quod non habet. Dicto, ut Diogenes, quum uocat auaritiam Metropolim omnium malorum, cui cõſimilia

ſunt illa Aſtopoli & diui Hieronymi, quorum alter idolorum cultum, alter radicem malorum auaritiam uocat. Exemplo, ut Dionyſius tyrannus: qui quum intellexiſſet ciuem quendam Syracuſanum habere domi ſuæ magnum pondus auri terra defoſſum: & eundem miſertime uiuere: totum id auri iuſſit in lucem erui, ſibiq; dari. Paruit ciuis tyranni iuſſui, & omne aurum dedit, pauculis tantummodo nummis ſubtractis: quibus, quum relictis Syracuſis in aliam migraſſet ciuitatem, agellum ſibi, unde uiueret, emit. Quod quum audiſſet tyrannus: iuſſit eum accerſiri. Vocatus uenit. Poſtquam inquit tyrannus didiciſti tuis uti: & non amplius inutilia facis, omnia tibi reſtituã. At Plutarchus omnes in unum collegit auaritiæ ſpecies: & tam conſummata depingit arte, ut æq; auaritiæ imaginem animo conceptam deteſteris, acſi ſordidiſſima aliqua mulier & omni labe uiciorum inquinatiſſima oculis tuis obiiceretur: conſpiceretur q; Quod ſi tibi non tam ex mea græcorum in latina conuerſione apparebit: quam conſtat his qui utriuſq; linguæ ſunt periti: id non Plutarcho, quo græce loquẽte, nihil eruditius, grauiuſue eẽ poteſt, ſed meæ inſcitiæ imputes oportet; boni interim conſu-

lens quod nos pro nostra erga Amplitudinem tuam singulari obseruantia:te,cui nostras dedicaremus nugas,delegimus.

AD LECTORES.

VOS ERVDITI LECTORES (siqui fortasse nostra legent)monitos uelim: aliqua loca esse in hoc quod ex græco traduximus opusculo,ita obscura: ut non uideantur cohærere, nisi ui quadam ad id attrahantur. Aliqua præterea haud dubie esse corrupta:sicut nõ mihi soli, sed aliis quoq; nonnullis uiris cum primis doctis (quibus nostra communicanda, quorumq; censura castiganda duximus)uisum est. In his igitur omnibus recte explicandis, nostro uti coacti fuimus iudicio:uestro libentissime cessuri,siquid melius in medium protuleritis. Quæ autem obscura sunt, satis uobis declarabit(me nihil monẽte)obscuritas ipsa. Ex his quæ corrupta sunt,haud ab re erit tria adponere. Vnũ est ὅμοιόν γε, τὸ σωφρονεῖν Nam participium οὖσαν. quod præcedit illi ὅμοιον. uidetur esse ita corrigendũ,ut legatur pro οὖσαν. ὅμοιόν γε, ἢ ὡς ἀνόμοιόν γε.

ut ſit ſenſus felicitatem quæ temperantiam, aliaſq; uirtutes ſequitur:longe eſſe diſſimilem felicitati diuitiarum. Hæc enim in oſtẽtatione tota conſiſtit. Illa uero oſtentatione non eget: ſed ſuum in ſe peculiare habet lumen, licet id omnes homines lateat. Alterum ẽ, ἄγω σὺ κυκᾷς ὑφάσματα ubi legẽdũ putamus ἄγε σὺ κυκᾷς, ὑφάσματα mutato tenui articulo in aſpiratum. Itẽ ἀνωχίας (quod uerbum totius operis ultimum eſt) legendum omnino ἐν ἀνωχίαις alioqui nullus rectus poteſt ex illis ultimis uerbis elici ſenſus. Et familiare eſt, tum ſcriptoribus, tum typographis, prætermittere .ἐν., ſi ſequatur diphthongus.

Plutarchus Chæroneus de Auaritia, Eximio Richardo Pacæo interprete.

HIPPOMACHVS aliptes, laudantibus quibusdam proceræ staturæ hominem, & oblongas manus habentem, tanquam ad pugilum artem exercendam aptum & idoneum, ita est inquit, si corona, uictoriæ præmium, ex alto pendens, deorsum trahenda esset. Itidem laudandi essent & isti, qui agros speciosos & amœnos, ædes magnificas, uim, quin potius luxuriam pecuniæ plurimum stupent, & felicem ducunt, si felicitas uenalis esset. Verum tamen multos quispiam uiderit, qui malunt in suis diuitiis etiam misere uiuere, quam pecunia liberaliter impensa, beatam uitam traducere. Sed non est lætitia, pecunia uenalis, non animi magnitudo, non constantia, non mentis securitas, nemo deniq; pecunia comparare potest, ut illo, quod sufficit, contentus uiuat, & nihil amplius appetat. Copia diuitiarum, diuitias contemnere non docet, neq; superuacua bonorum possessio facit, ut superuacua non concupiscamus. A quo igitur

malo liberant nos diuitiæ, si diuitiarum studium & cupiditatem non adimunt? Sed potu potus appetitum extinxerunt, cibo cibi auiditatem curarunt. Item ille qui apud poetam nescio quem, ait, Lænam des Hipponacti, nam ualde frigeo, multis allatis, fastidiuit & reiecit. Sed pecuniæ cupiditatem, neq; argentum neq; aurum extinguit, neq; cessat auaritia, quum ad summam copiã peruenit. Sed diuitiis æque dicere licet, atq; imperito medico, Medicina tua morbum auget, nam quum pane, domuncula, mediocri tecto, & quolibet cibo indigeamus, illæ auri, argẽti, eboris, Smaragdorum canum, & equorum cupiditate, nos replent, Translato appetitu a rebus necessariis ad illa quæ rara, quæ inutilia, quæ deniq; difficillime comparari possunt. Siquidem nemo ita pauper est, ut rerum necessariarum egeat. Nemo enim unquam pecuniam fœnore accepit, ut farinam, caseum, panem, oliuasue emeret. Sed hunc sumptuosa domus ære alieno onerat, illum, conterminum oliuetũ, hunc, agri frumentarii, illum uineta, nonnullos mulæ galaticæ, alios equi iugales uacuos currus trahentes, in barathrum contractuum, usurarum, pignorumq; detruserunt. Quo fit, ut quemadmodum illi

qui extincta siti bibunt, uel sublata fame comedunt, euomere solent etiam illa quæ sitientes, uel fame laborantes sumpserunt, sic qui inutilia & superuacua appetunt, nec necessariis quidem rebus potiuntur. Sed de his hactenus. At illos qui nihil penitus insumunt, quum multa habent, & pluribus semper indigent, magis quispiam admiretur, Aristippi sententiæ memor, Ille enim dicere solebat, hominem largiter comedentem, largiterq; bibentem, nunquam tamen plenum, adire medicum solere, & interrogare genus morbi, & habitudinem corporis, quomodo deniq; liberari posset. Quod siquis quinq; dominus lectorum, decem quærit, & postquam possedit decem mensas, alias totidem coemit, & abundans agris atq; pecunia, nondum est plenus. sed ad alia animum intendit, uigilat, & inexplebilis est. iste non putat sibi opus esse medico, a quo cur ita affectus est, ei declaretur. Atqui ex his qui sitiunt, illi qui non bibit, expectandum est, ut hausto potu, a siti liberetur. Sed qui cõtinẽter bibit, & non desinit, huic non tam ut repleatur, quam purgetur, opus esse putamus. Quare euomere illum iubemus, non q̃ eum infestet indigentia, sed q̃ asperitas quædam, uel calor ei præter

naturam ingeneratus sit • Quocirca etiam ex illis qui diuitiis comparandis student, qui pau per est, & inopia premitur, quiescet fortasse domo sibi acquisita, uel inuento thesauro, uel si opem ferente amico, æs alienum persoluerit, & a fœneratore liberetur • Sed qui plus satis ha bet, & plura appetit, ei neq; aurum, neq; argen tum, neq; oues, neq; boues medentur, sed eua cuetur, expurgeturq; oportet • non enim paupertas, sed inexplebilis auaritia, morbus eius est, quam, deprauatum & a ratione alienum iudi cium ingenerat. Quod siquis ab animo non auferat sicut a uite obliquum capreolum, non desinet superuacuis indigere, hoc est ea, quibus minime indiget, cupere • Quum medicus in greditur ad hominem in lectulo cubantem, ægrum, & suspirantem, omnem denique cibum fastidientem & reiicientem, tangit uenam, & iudicium facit • Si febre liberum inuenit, mor bus inquit animi est, & discedit • Igitur & nos quum uidemus aliquem in opibus colligendis contabescentem, sumptibus uero misere do lentem, neq; ulli turpitudini, sceleriue, modo ad eas augendas conferat, parcentem, quum tamen agris, gregibus, mancipiis, uestimentis abundet, quem alium morbum hunc homi

nem pati dicemus, quam animi paupertatem? nam paupertatem quidem pecuniariam, unius (ut Menander ait) amici beneficium tollet, ſed paupertatem animi, neq; uiui neq; mortui, ſi omnes in unum conferrentur, explerent. Vnde iſtis recte dixit Solon, diuitiarum nullum terminum conſtituiſſe homines, nam apud prudentes diuitiæ ſunt diffinitæ, & illarum terminus eſt uſus, quaſi centro quodam & interuallo circunſcriptus. Sed & illud peculiare eſt auaritiæ. Eſt enim auiditas ſuæ ipſius cõſummationi repugnans, Aliæ uero cupiditates omnes ſibi ipſæ indulgent. Nullus igitur, modo uir prudens ſit, abſtinet a cibo, idcirco q cibum amet. neq; a uino, idcirco quod uinoſus ſit, ſicut auari propter pecuniæ cupiditatem, a pecunia abſtinent. Atqui quid prohibet, quin inſaniæ, miſeriæq; morbus ſit, ſiquis ueſte non utitur, propterea q frigeat, neque pane, propterea q fame laboret, neq; diuitiis, idcirco quod diuitias amet. Sed hunc Thraſonidæ premit furor, in hæc uerba loquentis, Apud me intus eſt, mihi licet, & hoc uolo, in morem aliquorum perditiſſime amantium, non facio tamen, ſed omnibus occluſis, ſigillo obſignatis, fœneratoribus, & negociatoribus, numeratis, alia

colligo, alia persequor, cum seruis, rusticis, & debitoribus contendo. Dii boni quem hominum miseriorem uidistis? num amator infelicior? Sophocles interrogatus, an posset mulieris consuetudine uti, bona uerba quæso inquit, liber sum, & rrbidos serosq; Dominos senectute cogente, longe fugi. Est enim laudabile, si una cum uoluptatibus, & uoluptatum cupiditates pereant, quas neq; mulierum, neq; uirorum quęquam Alcæus fugisse ait. Sed istud ab auaritia longe abest, quippe quæ tanquam dura & aspera domina acquirere cogit, uti uero acquisitis uetat, cupiditatem excitat, uoluptatem tollit. Stratonicus igitur in Rhodiorum luxuriem non ineleganter iocatus est, quum diceret eos ædificare tanquam immortales, Vesci uero tanquam breui morituros. At qui opes colligere student, possident quidem ut sumptuosi, sed bonis suis utuntur tanquam auari, Labores sustinent, uoluptatem nullam capiunt. Demades itaq; quum Phocioni prandenti quondam superueniret, conspiceretq; mensam eius tenuem & parcam, te inquit Phocion admiror, q quum ita prandere scias, Rempublicam administrandam capessis. Ille enim tribunatum plebis, uentri suo

geſſerat,& Athenas exiguum prodigalitati ſuæ
uiaticum ducens , Macedonicas opes ſibi per/
quiſiuit. Quam ob cauſam , Antipater quum
illũ ſenẽ iam uideret,ceu cõfecto ſacrificio,præ
ter linguam & uentrem nihil reliquum eſſe di
xit. Te itaq; miſer nonne quiſpiam admiretur,
quod quum tam illiberaliter , tam inhumani/
ter,tam abſq; ulla bonorum tuorum cõmunica
tione uiuas,tam amicis ferus ſis,ciuitatem nul
lo honore afficias.te ipſum affligis,uigiliis ma
ceras,omne opus redimis,hæreditates ſectaris,
uiliſſimæ deniq; cuiq; rei te ſubiicis , quũ tam
magnam ocii occaſionem auaritia libero ho/
mine indigna tibi ſuppeditet? Bizan quendam
dixiſſe aiunt,depræhenſo quodam cum turpi
muliere in adulterio , O miſer,quæ te impulit
neceſſitas? nonne rancida dos,lucriq; auiditas?
Quæ tu hincinde miſer colligis , & permiſces,
Reges,regum præfectos,ciuitatum Primates,
& imperandi cupidos , ad opes accumulandas
incitant.his enim ita facere neceſſe eſt,qui pro
pter ambitionem,arrogantiam , & inanem glo
riam,lauta dant conuiuia , multa largiuntur,
ſatellites conducunt , dona mittunt , exercitus
nutriunt,gladiatores emunt. Tu uero tantum
moleſtiarum toleras,tantum te ipſum crucias,

atq; uexas, ut cochleæ uitam, ob auaritiam, traducas, nihil non fastidii sustines, ut nulla lætitia fruaris, in morem asini balneatorii, qui ligna & sarmenta portat, fumoq; ac fauillis semper repletur, sed nunquam lauatur, nunquam tepidam sentit, nunquam ei deniq; sordes corporis eluuntur. Sed satis dictum est aduersus istam asininam & formicinam auaritiam. Est enim & alia ferox, delatrix, hæredipeta, impostrix, omnibus rebus se ingerens, curiosa, quæ amicos quot adhuc uiuunt, continue numerat, quæ deniq; bonis undiq; acquisitis, ne tantillum quidem fruitur. Igitur quemadmodum Viperas, Cantharidas, Araneas, magis odimus & auertimus, quam leones & ursos, id circo quod homines necant & occidunt, nulli usui, quum mortui sunt, sibi futuros. Sic illos magis detestemur, oportet, qui propter auaritiam a liberis hominibus alienam, mali sunt, quam qui propter prodigalitatem. Illi enim ab aliis auferunt, quibus ipsi uti, neque uolunt, neq; possunt. Vnde prodigi manus amplius non conferunt, sed dant indutias, cum bonis abundent, & suppeditanda habeant. Quemadmodum Demosthenes illis qui Demadem rapacem esse desiisse existimabant, ita est inquit,

nunc enim plenum uidetis ſicut leones. Sed illi qui in nullam uoluptatem, in nullam utilitatem opes congerunt, horum auaritiæ nunquam datur tantum ocii ut receptui canant, quippe quum ſemper uacui ſint, & partis addere ſtudeant. Sed dicet aliquis, Iſti filiis, & hæredibus, bona ſeruant, & theſaurum his colligunt, quibus uiui nihil penitus impertiunt. Sed non licebit eos auri participes eſſe, niſi mortuis illis & ſectis in modum illorum murum, qui in metallis arenulam illam aurum imitantem exedunt, At filiis & hæredibus cur uolunt multum pecuniæ magnaſq; fortunas relinquere? ut ſcilicet & illi cuſtodiant aliis, & hi filiis, more fictilium aquæductuum, Qui nihil in ſeipſos recipiunt, ſed ali9 in alium tranſfundunt, donec aliquis extraneus ſycophanta uel tyrannus expilatum cuſtodem, & alio deriuatum ſubuertat, & diuitias transferat. uel (ſicuti uulgo iactatur) unus ex toto genere perditiſſimus, omnia omnium deuoret. Neq; enim ſeruo ſoli, ſi Euripidi credimus, intemperantes naſcuntur filii, ſed & auaro, auari, ut quodam in loco & Diogenes iocatus eſt, quum inquit, Ciuis megarenſis arietem me mallem eſſe quam filium. Nam quibus præceptis erudire

ſe putant, his perdunt & peruertunt, dum ſuam ipſorum auaritiam & nimiam parcita-tem ingenerant, & quaſi arcem quandam hære ditatis tuendæ hæredibus cõſtruunt, hæ enim monitiones, hæc documenta illorum ſunt. lu crare, & parce acqſitis, tantiq; te æſtimes, quan tum poſſideas. iſtud autem non eſt erudire, ſed contrahere, & quaſi ſuere loculos, ut pecuniam iniectam continere, & ſeruare poſſint. Atqui lo culi iniecta pecunia ſordeſcere & male olere in cipiunt. ſed filii auarorum, priuſquam diuitias accipiant, paterna & hæreditaria auaritia re plentur. At enim mercedem doctrina dignam, eis perſoluunt, Non enim amant eos ꝙ multa habituri ſunt, ſed odio proſequuntur, quod nondum habent. Nam quum nihil præter di uitias admirari didicerunt, neq; aliam ob cau ſam uiuere, niſi ut multa poſſideant, uitam illo rum ſuæ impedimento eſſe credunt, exiſti-mantq; tantum ſibi uitæ tempus adimere, quã tum illis addit. Quamobrem, etiam uiuis ad-huc parentibus, clam quodammodo uolupta-tem furantur, eaq; fruuntur, paterna bona, tan-quam aliena, amicis diſtribuentes, & ad libidi-nem ſuam conſumentes, Idcirco quod aliquid ex auditu didicerunt. ſed mortuis patribus, &

clauibus, sigillisq; acceptis, alium uitæ habitum, personam tristem, tetricam & inaffabilem induunt. non cursus, non pila, non lucta, non academia, non lycæum eis placet, sed domesticos seruos examinant, acceptorum expensorumq; rationes intuentur. cum œconomis, & debitoribus supputant, negociis continuis distringuntur, cura prandium aufert, & noctu in balneum impellit, exercitationes uero in quibus educati fuerunt, & Dyrces fontis aqua, negligũtur. Et siquis ei dicat, nõ ne audies philosophum? qui fieri potest inquit, mihi, mortuo patre, ocium non suppetit. O miser, quid tale tibi pater reliqt: quale abstulit. Nempe ocium & libertatem, immo non ille: sed diuitiæ potius undiq; circunfusæ: undiq; tui potitæ (sicut mulier apud Hesiodum) comburunt sine face, & in præmaturam senectutem coniiciunt, adductis secum animi curis (ceu rugis quibusdam canisq; intempestiuis) ex auaritia & inquietitudine prouenientibus. quæ faciunt, ut omnis animi generositas: omne studium honoris: omnis deniq; humanitas tibi marcescat. Quid igitur inquit aliquis: uides ne quosdam fortunis suis splẽdide uti? Respõdebimus. Tu uero audis ne Aristotelem quum inquit: alios

profuse dando, alios nihil dando, abuti diui-
tiis? quasi neutrum conueniat. sed illis bona
propria neq; prosint, neq; ornamento sint, his
uero etiam noceant, & dedecore afficiant? Age
igitur primum intueamur quisnam hic usus
sit, ob quem diuitias suspicimus & admira-
mur. Consistit ne in rebus necessariis? Si hoc
ita est, non plus habent diuites, quam qui me-
diocria possident. Sed diuitiæ (ut Theophra-
stus ait) re uera diuitiæ non sunt neq; expeten-
dæ, Si Callias Atheniensium ditissimus, & Is-
menias Thebanorum opulentissimus, non ali
ter uixerunt quam Socrates & Epaminundas.
Nam ut Agatho tibicinem ex conuiuio ad mu
lierculas dimisit, conuiuarum præsentium ser-
monibus contentus, ita & stragula purpurea,
sumptuosas mensas, omnia deniq; id genus su-
perflua amoueret, si diuites eisdem quibus &
pauperes uti uideret.

Illico aratri nec pendebit stiua camino,
Nec uanescent mularumq; boumq; labores:

Sed pocillatores, sculptores, unguentarii, coci,
omnia deniq; inutilia, honeste simul & pruden
ter exterminabuntur. Quod si res necessariæ
communes etiam cum diuitibus sunt, & nihilo
minus diuitiæ de superfluis gloriãtur, & Scopã

Theſſalum laudas, qui quum neſcio quid ab eo peteretur, quod domi habebat, quomodo ſuperuacuum, ita & inutile, profecto inquit iſtis ſuperuacuis nos felices beatiq; ſumus, non illis neceſſariis, uide ne pompam celebremq; conuentum laudanti ſimilior ſis, quam uitam. Feſtum Bacchi apud priſcos primum populariter hilariterq; celebrabatur, Amphora uini: uitiſq; circunferebatur, poſt has unus hircum trahebat. alter ſubſequens, corbem ficorum ferebat. hæc omnia phallus ſequebatur. ſed hæc nunc contemptui habentur, & euanuerunt, quum aurea fercula & ueſtimenta pretioſa in pompam ducantur, & currus perſonatiq; agantur. Itaq; quicquid in diuitiis neceſſarium eſt, & utile, hoc totum inutilia & ſuperuacua obruunt. Iam uero magna pars hominum Telemachi morbo laborat. Nam & ille expers rerum, quin potius ineptus, uiſa Neſtoris domo, lectis, menſis, ueſtibus, ſtragulis, dulci deniq; uino plena, minime beatum duxit, rebus neceſſariis & utilibus abundantem. Sed quum in ædibus Menelai, ebur, aurum & electrum conſpiceret, obſtupuit, dixitq;.

Aula hæc interior Iouis eſt fortaſſis olympii,
O quam multa meis oculis mirāda pateſcunt.

Socrates uero uel Diogenes dixisset, quam multa hic sunt misera, superuacua, & stulta, ridenda sunt quæ uideo. Quid dicis fatue? quum uxoris purpura, mundusq; tibi detrahendus est, ut desinat lasciuire, & hospites perdite amare, num ædes tuæ tãquam theatrum uel scæna ingredientibus sunt ornandæ? Talem habent diuitiæ felicitatem (Nempe quum spectantur, uel testimonium de eis perhibetur) quæ nihil prorsus commune habet, cum temperantia, sapientia, rerum diuinarum cognitione, quæ, tam & si lateant omnes homines, habent tamen peculiarem splendorem: lumenq; in animo magnum, gaudium deniq; ingenerant familiare, quod suum ex se ipso bonum recipit, siue quis uideat illud, siue deos simul & homines fugiat. Talis est & Virtus talis est ueritas, tale deniq; est disciplinæ ornamentum geometricæ simul & astrologicæ. quibus cum, siquis istas diuitiarũ phaleras, monilia, & reliqua id genus puerilibus oculis grata conferret, is indignus est qui uideat uel spectet, Re uera orbatæ luminibus, & penitus cæcæ sunt diuitiæ. Nam si diues solus cœnet cum uxore, uel familiaribus, neq; illam quam uidemus in commessationibus molestiam, mensis præbet, neq; aureis

poculis: ſed quibuſlibet, utitur. Præterea uxor abſq; auro, abſq; purpura, ſimplici ueſte induta adeſt. Sed quum conuiuium, hoc eſt pompa & ſpectaculum indictum eſt, & opum oſtētatrix comœdia recitanda, tunc (ut Homerus ait) Sunt exportandi ratibus tripodeſq;, lebeſq;. tunc lucernis adhærent, tunc hinc inde pateras circunferunt, tunc pocillatores mutant, tunc omnia tranſponunt, Omnia deniq; aurum, argentumque, & quicquid gemmis diſtinctum eſt, mouent. hoc ſummatim agentes, ut diuites ſe profiteantur. Sed temperantia ſaltem, ſiue ſolus cœnet, ſiue conuiuium celebret, indiget.

Romæ Anno Dñi.
M.D.XXII.

MU